Lectio Sophoclis ad pietatem augendam valet et ...

Franz Joseph Hermann Reuter

Lectio Sophoclis ad pietatem augendam valet et castitatem morum.

Quod fit interdum, ut optima quaeque et honestissima impugnentur ab iis, qui specie magis recti quam recto ipso ducuntur, id temporum iniquitate accidit studiis humanitatis. Quae quum ante hos annos vel maxime haberentur idonea, quibus venustate, dignitate, temperantia, honestate, aliis virtutibus animi juvenum imbuerentur, nunc attentantur ab iis, qui nihil homines sequi oportere arbitrantur, nisi quod ad comparandas aut divitias aut opes pertineat. Isti quidem ferri possunt; nam hoc mirum non est, eos avocari juvenes velle ab illis studiis, quorum vim ad perpoliendos hominum animos nullo modo perspiciunt. Nec operae est pretium refellere eos, quos ad sanam mentem nemo revocare conabitur, nisi qui operam perdere volet. At nuper exstitit aliud genus hominum, qui novis quibusdam argumentis bellum videntur philologis quidem indicere, re autem vera illa studia ex juvenum disciplina ejici volunt. Etenim viros, quibus hodie in scholis doctrina juventutis tradita est, in falsam atque iniquam religionis neglectae insimulationem vocant; illos neque rite in scholis rerum divinarum rationem habere, et omnia alia magis praecipere adolescentibus quam studium pietatis, unde sit factum, ut hi ejusmodi rebus non admodum moverentur. Quae insimulatio si esset vera, nihil habere antiquius oporteret civitatum gubernatores, quam ut tales juventutis educatores praeceptoresque ex scholis depellerent. Sed illa quum isti homines dicunt, simulant quidem, se oppugnare philologos, quos dicunt, re autem longe alia agunt. Nam illud fugere eos non potest, quam sit iniquum, quod nescio an in singulos cadat, id objicere omnibus, qui ejusdem ordinis sint. Aliter enim damnandus est totus ordo jurisconsultorum, medicorum, physicorum, historicorum, philosophorum, theologorum etiam; in quibus quum sint, qui perverso judicio ducti religionem contemnant, totus ordo exterminandus est ex consuetudine juvenum ac disciplina, ne unus vel alter eorum pietati obsit. At isti homines bene hanc iniquitatem perspiciunt, neque id volunt, quod sequi videntur, sed illa iis studia invisa sunt, qua in re profitentur, se aut rudes esse literarum antiquarum, ac non videre vim maximam earum ad humanitatem augendam, aut ingratos petulanter conculcare illud, quo mens sua conformata est ac perpolita. — Haec igitur studia, quae multa per saecula juventutem alebant, quae cum grata quadam pietate majores nostri colebant, quae ante hos annos doctissimus quisque quasi literarum subsidia esse et relaxationi animi inservire putabat, quae Origenes, Eusebius, Basilius (is adeo

scripsit πρὸς τοὺς νέους, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ἀφελοῖντο λόγων. Opp. Tom. II. ed. Par.) Chrysostomus, alii tanto cum studio tractabant, ut vim illam dicendi, illam orationis elegantiam, illam subtilitatem judicii ex iis sine ulla pietatis jactura perciperent, quibus usque ad haec tempora multa hominum millia operam dabant et ita dabant, ut iidem pietate insignes esse solerent: haec igitur studia obesse rebus divinis nunc demum inventum est, his imbui juvenes ea impietate, quae nunc quidem viget quamque probissimus quisque deplorat! O magnam iniquitatem! O maximam mentis perversitatem! Quod est repetendum ex longe aliis causis iisque manifestis, si quis vel mediocrem intelligentiam temporum habet, id nunc summa cum injuria studiis antiquitatis crimini datur! Sed nolo plura de ea re dicere, cujus causam alii me longe doctiores susceperunt.

Nunc mihi proposui, ut scriberem ea, quae iis, quae supra dixi, affinia essent. Nam quum per hunc annum in scholis legerem praeclaram illam Sophoclis trilogiam, quam dicunt, Oedipum Regem, Coloneum et Antigonam, quibus in tragoediis omnia plena sunt earum sententiarum, quae ad honestissima quaeque atque piissima legentium animos ducant, haud inutile factu putavi, si unam vel alteram tragoediam deligerem expositisque iis, quae sequi poëta voluisset, adjungerem eos locos, quibus qui adhibere vellet docilem animum, intelligeret, quantum Sophocles ad sanctitatem morum, quantum ad pietatem, quantum omnino ad emendationem vitae valeret. Nam ii demum praeceptores mihi quidem officiis suis non deesse videntur, qui nullum patiuntur esse diem, quin cupide occasionem arripiant, paucis verbis tales res admiscendi literarum doctrinae, quae pertineant ad ea officia, a quibus pie honesteque vivendi praecepta ducantur. Conducit enim, aures adolescentium, qui cupiditatum ardore huc illuc jactantur, ad quas ii restinguendas tali auxilio egent, his undique vocibus circumsonare nec eas, si fieri possit, aliud quidquam audire, quod Cicero (de off. II. 2.) Marco filio praecipit. Sed hoc non facile praeceptori continget, nisi qui, quum ipse pietate ducatur et honestate, cum studio quodam in veterum librorum lectione excerpet explicabitque ea, quae ad illa valeant. Arctissime enim literarum studia cum recta cognitione divinarum rerum cohaerere debent. Hac vero mente veterum plerique ad scribendum se contulerunt ac deorum benevolentiam ab animi integritate manare ac sanctitate putarunt. His ductus rationibus Zaleucus ille legum lator praecepit, conniteretur quisque, ut casta mente esset et integra; deum enim neque ornari mali hominis veneratione, nec splendore ac sumptibus coli, sed honestatis studio, justitiae maxime, quam quidem justitiam unam excellentissimam virtutem Cicero vocat (de Nat. deor. I. 2). Idem eos, qui inclinarent ad injuriam, monuit, ne obliviscerentur, esse deos, qui ab injustis hominibus poenas expeterent; illud igitur tempus cogitatione praeciperent, quo essent vita cessuri; appropinquante enim morte suae quemque injustitiae poenitere. (Stob. Tit. XLIV. p. 279. Diod. Sic. XII. 20.) Atque hac ipsa re contineri dei benevolentiam non unus aliquis dixit, sed quum multi ex veteribus tum interpres aureorum dictorum Pythagorae (Hierocl. p. 24). Is est verus, inquit, is perfectus, is solus sacerdos, qui se ipsum sacrificat suumque animum vult dei esse sacrarium, quum is non magis propriam habeat sedem terrestrem quam hominis animum. Nec colitur deus, quod Seneca epist. CXV. dicit, taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate. Haec secuta est tragoedia veterum, quae quum esset arctissimo vinculo cum religione coniuncta ac deorum venerationi serviret, summam gravitatem habebat et auctoritatem, quam vel summus artis apparatus nulli rei addere potest, ex qua sola delectatio petitur. Haec majorum nostrorum animis

piis obversabantur, ut, quidquid aut discerent aut agerent, in deo contineri putarent, id quod apparet atque exstat et in templis illis mirifica arte exstructis et in literarum operibus, quae quidem opera piis animis ita scripserunt, ut omnia ad deum referrent. Hoc nobis quoque propositum sit, ut quum multis rationibus literarum studia ac numen divinum connexa inter se et apta esse putemus, tum in legendis scriptoribus antiquitatis non semper haereamus in docta verborum interpretatione, sed juvenes ea quoque moneamus, quae emendare mores eorum ac pietatem aut elicere aut confirmare possint. Huic rei qui studet, ei quavis paene in pagina scriptorum larga materia suppeditatur.

Omnium autem veterum poetarum princeps fere Sophocles est quum arte poetica tum intelligentia humanae naturae et ejus rationis, quam illa cum divina vi naturaque habet. Ita enim, ut illam artem omittam, tragoediae ejus perfusae sunt et summa in deos pietate et humilitate quadam, qua ferenda putat aequo animo ea, quae ab illis acciderint, ita sibi persuasit atque decrevit, hujus vitae miserias spectandae virtutis causa immitti divinitus vel immerito laborantibus, qua re ii post varios casus et calamitates ad prosperum exitum perventuri essent ac viam sibi ad concilium deorum munituri, ita ea maxime expetenda esse existimat, quae honesta sint et decora, ut proxime omnium veterum una cum Socrate accessisse judicetur ad ea, quae de rebus divinis christiani sentiant.

Sed redeo ad illud, quod institui, ut duas ejus tragoedias, Oedipum Coloneum et Antigonam, deligerem explicatisque iis, quae proposita poëtae fuissent, nonnullos locos excerperem, in quibus illa, quae supra dixi, continerentur.

Ac primum quidem in Oedipo Coloneo, quod carmen Sophocles senex scripsisse fertur et quod mollissimum Cicero (de fin. V. 1, 3) dicit, omnia ita abundant sententiis, quae ad divinas res pertinent, ita hae cum studio quodam tractantur, ut poëta, quid ipse in illis rebus sentiret, quasi consulto professus esse videatur. Ac tanta in hac fabula suavitas sensuum inest permixta illa quidem cum gravitate, tanta tamque mirifica, et dolore quodam humanae conditionis et laeta spe rerum futurarum perfusa, affectio animi, ut de salute ipsius poëtae agi opineris. Nec minori orationis dulcedine quasi monumentum loco natali, Κολωνῷ, posuit. Huc igitur Oedipum poëta produxit. Is a Lajo patre, ne, quod oraculum praedixerat, ab eo necaretur, expositus postquam apud peregrinos adolevit, inscius, ut placuit fato, et occiderat patrem et suscepto Thebarum imperio Jocastam matrem in matrimonium duxerat. Quo quidem imperio quum sapienter diu ac moderate usus esset, ut optimus a civibus ac sapientissimus praedicaretur, Thebanis pestilentia laborantibus omnia se experturum esse promisit, ut investigaret mali auctorem, eum, qui Lajum interfecisset, investigatumque patria depelleret, qua in re sui quandam admirationem prae se ferebat. Ac ne tum quidem, quum eo res pervenisset, ut suspicio ipsum subire posset, quis et qualis esset, rectis videbat oculis ac fraude se circumventum esse opinabatur. Tandem adhibitis testibus, in quibus ipsa mater et conjux inventa est, eo ipso temporis puncto, quo haec perturbatum ejus animum tranquillum reddere voluit, verum invenit ac summo correptus dolore oculos sibi effodit; postea jussu suorum patria decedere coactus est. His in rebus versatur Oedipus Rex, in quo hoc potissimum docere Sophocles voluit, quantis obcaecati erroribus etiam probi homines esse solerent, qui nimium sibi tribuerent ac viribus suis confisi sua se opera omnia perficere posse arbitrarentur. Bene hoc chorus v. 1156 ed. Wund. exprimit. Nam idem ille Oedipus, qui sphingis aenigma, quod pertinebat ad humani generis vitam, mentis acumine solvit, suae ipsius vitae rationem tum demum

perspexit, quum ad perniciem extremam pervenit. Vid. Schlegel de art. dram. I. p. 125. Müller, hist. graec. lit. Tom. II. p. 125 sqq. Iacob. op. I. p. 254.

Sed quod ille, ut ad Oedipum Coloneum revertar, contra naturae deorumque leges, quamquam invitus, peccaverat, id expiatum est poena, quam ipse de se oculis effossis repetivit, et quem divini numinis vi prostratum videmus, eundem reconciliari diis volumus, quae quidem reconciliatio post multas calamitates susceptas illas quidem ad virtutem probandam morte divinitus oblata tanquam liberatrice ac vindice malorum efficitur. In ea enim res divinae atque humanae, quas homines, dum vivunt, mentis quodam errore sibi oppositas putant, quasi vinculo quodam junguntur omnisque salus nostra ac spes continetur.

v. 582 sq. Thes. *τὰ λοίσθι' αἰτεῖ τοῦ βίου· τὰ δ' ἐν μέσῳ*
ἢ λῆστιν ἴσχεις, ἢ δι' οὐδενὸς ποιεῖ.
Oed. *ἐνταῦθα γάρ μοι κεῖνα συγκομίζεται.*

Atque hanc quidem sententiam vere divinam Sophocles beata Oedipi morte oculis nostris exposuit. Nam idem ille vir, cujus vita contra suam ipsius voluntatem nefaria erat, postquam acerrime maleficia sunt vindicata, beatam eamque mirabilem mortem obiturus erat. Ac furiae ipsae, horribiles illae flagitiorum vindices, apud se expiatum recipiunt et in deorum gratiam ita reconciliant, ut adeo salus ex eo nascatur terrae, in qua sit moriturus:

v. 385 sq. *σὲ τοῖς ἐκεῖ ζητητὸν ἀνθρώποις ποτὲ*
θανόντ' ἔσεσθαι ζῶντά τ' εὐσοίας χάριν.
et v. 390: *νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν.* [1])

Nec valent quidquam contra eum consilia Creontis ac Polynicis, qui hujus terrae bona sequuntur; immo longe iis superior est, et quem illi patrio solo expulerunt, is tanquam deus praescribit, quae sit sors vitae eorum futura. Comites autem eo tempore, quo beata morte liberatur miseriis, neminem habet nisi filias, quae caste ac pie vivebant, et Theseum illum, qui honestatis quasi personam et pietatis gerit. — Ita numen divinum prosternit superbiam hominum et omnis eorum amplitudo illa mundi conservandi regendique vi et ratione longe inferior est. Qui autem sine sua ipsius culpa malis opprimitur aut movetur poenitentia malefactorum, is neque perit et post varios casus in mortem tanquam in portum invehitur. [2]) Hae sunt sententiae non sapiente solum omnium temporum, sed etiam christiano dignae; nam non ad unum aliquem hominem tragicum pertinent, sed ad omnem rationem generis humani, quod quidem in hac vita agitatum aerumnis malorum finem mortem propositam habet, qua ad aeternam beatitatem perveniet. — Sed satis est dictum de eo, quod in hac fabula declarare voluerit Sophocles. Nec tamen illud praetermittendum esse videtur, quod, a quibus partes rerum honestarum divinarumque sustinerentur, praeter Oedipum ipsum et Theseum adhibuit feminas, quarum animi molles ac teneri magis quam virorum rebus divinis commoventur ac divina quadam praesagitione utuntur.

Nunc venio ad aliud, quod mihi propositum est, ut aliquos locos adjungerem, in quibus ea contineri mihi viderentur, quae si respicerentur a magistro, ad juvenum pietatem morum-

---

[1]) Basil. in Es. Proph. c. 8. p. 539 ed. Par.: *καὶ σχεδὸν πᾶσα ἡ ἐνταῦθα κακοπάθεια πρόξενός ἐστι τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν … σπέρμα γὰρ ἔσται τῶν μελλόντων ἀγαθῶν αἱ νῦν διὰ τοῦ θεοῦ νόμον ἐγγιγνόμεναι θλίψεις.*

[2]) Senec. Ep. XCV.: Dii nec dant malum, nec habent: caeterum castigant quosdam, et coërcent et irrogant poenas et aliquando specie boni puniunt.

que sanctitatem augendam valerent. Oedipus igitur quum in Eumenidarum lucum se pervenisse intelligat, eas supplex precatur, ut finem faciant miseriae suae mortemque ipsi immittant:

v. 101 sq. ἀλλά μοι θεαί,
βίου κατ' ὀμφὰς τὰς 'Απόλλωνος δότε
πέρασιν ἤδη καὶ καταστροφήν τινα,
εἰ μὴ δοκῶ τι μειόνως ἔχειν, ἀεὶ
μόχθοις λατρεύων τοῖς ὑπερτάτοις βροτῶν. [1])

Habemus igitur hominem ita exorantem a diis favorem, ut non sit eo indignus, quemadmodum nos quoque christianos dei implorare auxilium decet. Demisso ille et humili animo suspicit Eumenidas et orat, ut miseriis et corporis et animi fractum ad se recipiant neve viliorem hoc beneficio judicent, si quidem peccatorum poenas expenderit. Et paullo post, quamquam in eo est luco, in quo malorum liberationem se inventurum esse oraculo editum erat, tamen hortantibus incolis, ut luco sacro excedat, filiae pie monenti obtemperat:

v. 168 sq. ὦ πάτερ, ἀστοῖς ἴσα χρὴ μελετᾶν,
εἴκοντας ἃ δεῖ κἀκούοντας.

Nam nonnunquam necessitati parendum est, quae pars est rationis, ut Plinius ait, et qui in peregrina terra versatur, eum colere oportet, quantum fieri licet, domesticum morem nec petulanter violare id, quod incolae venerantur, quod idem mox a choro praecipitur:

v. 180 sqq. τόλμα ξεῖνος ἐπὶ ξένης,
ὦ τλάμων, ὅ τι καὶ πόλις
τέτροφεν ἄφιλον ἀποστυγεῖν,
καὶ τὸ φίλον σέβεσθαι.

Nec fas est, reniti fortunae, sed cedere et honeste sancteque vivere, qua quidem re facilius consequimur id, quod volumus:

v. 184 sqq. ἄγε νῦν σύ με, παῖ,
ἵν' ἂν εὐσεβίας ἐπιβαίνοντες
τὸ μὲν εἴποιμεν, τὸ δ' ἀκούσαιμεν,
καὶ μὴ χρείᾳ πολεμῶμεν.

Atque ut omittam verba illa mollissima pudibundae Antigonae pro patre precantis, v. 232—248, quibus nihil venustius inveniri, nihil magis adolescentium pudicorum animos commovere potest, extremis verbis gravissime dicitur, humana omnia in dei potestate posita esse nec eo invito quemquam sortem suam effugere posse:

v. 247 sq. οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτόν, ὅστις ἄν,
εἰ θεὸς ἄγοι, 'κφυγεῖν δύναιτο. [2])

---

[1]) **Chrysost.** Arch. Epist. ad Corinth. Homil. I, 2. Tom. X. p. 6. ed. Pars: πῶς δ' ἄν τις εὕροι χάριν παρὰ τῷ θεῷ; πῶς δὲ ἑτέρως, εἰ μὴ ἀπὸ ταπεινοφροσύνης; ὁ θεὸς γὰρ ὑπερηφάνοις ἀντιτάττεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν ... οὕτω καὶ οἱ ἐξ ἐθνῶν χάριν εὗρον.

[2]) **Senec.** Ep. XXXI. **Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia,** quod Muretus dicit convenire sacris nostris: **Portans omnia verbo virtutis suae.** cf. Epist. XCV. **Primus est deorum cultus, deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est; scire, illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerant, interdum curiosi singulorum.**

Chrysost. de Laz. Conc. 1. οὐδεὶς γὰρ τοῦ θεοῦ ὑποφεύξεται τὴν ψῆφον, ἀλλὰ πάν-

Multo autem his graviora loquitur Oedipus ipse, ut permoveat incolas, ne locum sacrum aestiment pluris quam sacra ipsa, sive ne, dum pietatis speciem sequantur, violent pietatem ipsam; ita qui agant, eos calamitatem divinitus immissam subterfugere non posse, quoniam dii piorum facta aeque atque impiorum perspiciant:

v. 273 sqq. *καὶ μὴ θεοὺς τιμῶντες εἶτα τοὺς θεοὺς*
μοῖραν ποιεῖσθε μηδαμῶς· ἡγεῖσθε δὲ
βλέπειν μὲν αὐτοὺς πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν,
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς, φυγὴν δέ του
μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου βροτῶν. [1])

Et qui filii ea affectione animi sunt, ut se pigritiae dedant (cf. v. 333 sqq.) et opes imperiumque magis curent, quam officia in parentes, quales Oedipi filii declarantur:

v. 414 sq. *καθ' οἱ κάκιστοι τῶνδ' ἀκούσαντες πάρος*
τοὐμοῦ πόθον προὔθεντο τὴν τυραννίδα;

et v. 445 sq. *τὼ δ' ἀντὶ τοῦ φύσαντος εἱλέσθην θρόνους*
καὶ σκῆπτρα κραίνειν καὶ τυραννεύειν χθονός.

iis bene evenire in hac vita non potest, sed exsecrati a diis hominibusque calamitatibus agitantur nec furiae eos acquiescere sinunt, donec misera morte pereant, id quod postea filiis Oedipi accidit. Vid. v. 417 sqq. et 1343 sqq.

Sequuntur versus, qui jure omnium admirationem commovent. Nam Oedipus Eumenidis sacrificare jussus castam filiam admonet, ut, quum ipse infirmior sit et caecus, pro se sacrificium faciat:

v. 494 sq. *ἀρκεῖν γὰρ οἶμαι κἀντὶ μυρίων μίαν*
ψυχὴν τάδ' ἐκτίνουσαν, ἢν εὔνους παρῇ. [2])

Quid his versibus magis veterum Graecorum studium sanctitatis declarat? quid magis est documento, his quoque persuasum fuisse, pietate deos obligari, quoniam simile a simili commoveatur? Quis est autem, qui quum talia cum discipulis legat, non gravibus eos verbis hortetur, ut, si deum suis favere studiis velint, castitati studeant?

τες πάντως οἱ ἐν πλεονεξίαις ... ζῶντες τὴν παρ' αὐτοῦ δίκην ἐπισπάσονται τὴν ἀθάνατον ἐκείνην καὶ τέλος οὐκ ἔχουσαν.

[1]) **Soph. Phil. 1412 sqq.:** *τοῦτο δ' ἐννοεῖσθ', ὅταν*
πορθῆτε γαῖαν, εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς.
ὡς τἄλλα πάντα δεύτερ' ἡγεῖται πατὴρ
Ζεύς. ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς,
κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

[2]) **Senec. Ep. XCV.: Vis deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est. Plin. Paneg. III. extr. Dii non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetantur.**

Chrysost. Exp. in Psalm. IV. 3. tom. V. p. 9. ed. Par.: *μάθωμεν, πῶς δεῖ ταύτην ποιεῖσθαι τὴν ἐντυχίαν. οὐκ εἰς Μουσεῖον ἀπιέναι δεῖ, οὐδὲ χρήματα ἀναλίσκειν... ἀλλ' ἀρκεῖ θελῆσαι μόνον· καὶ οὐχ ὑπὲρ σεαυτοῦ δυνήσῃ μόνον ἐν τῷ δικαστηρίῳ τούτῳ λέγειν, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ ἑτέρων πολλῶν· ὁ τῆς εὐχῆς τρόπος: τὸ νηφούσῃ διανοίᾳ... προσιέναι.* — **Id. in inscr. altar. 1. Tom. III. p. 50 affert sententiam a Christo prolatam:** *κρείττων εἷς ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ κυρίου, ἢ μύριοι παράνομοι· ἔστι γάρ, ἔστι πολλάκις ἄνθρωπος εἷς μυρίων ἀντάξιος.*

Hos versus paene divinos paullo post excipiunt alii, quibus id praecipitur liberis, quod dociles legentium animos tangat, praesertim quum moneantur, quid promittatur iis, qui parentes vereantur:

v. 504 sq. *τοῖς τεκοῦσι γὰρ*
οὐδ' εἰ πονεῖ τις δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν. cf. 1595—1601.

Et quod christiana religione docemur, ut amemus alios homines, idem non Cicero solum praescribit duce natura, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit (de off. III. c. 6), sed Sophocles etiam graviter monet et ita monet, ut propius accedat ad christianam doctrinam, quum Theseum illum dicentem faciat, se multis in peregrina terra jactatum periculis non esse recusaturum, quin Oedipum misere oberrantem conservet, quoniam sciat, se hominem natum esse, qui aeque morti atque ille obnoxius sit, ut clementiam denegare non possit:

v. 566 sq. *ἔξοιδ' ἀνὴρ ὤν, χὤτι τῆς ἐς αὔριον*
οὐδὲν πλέον μοι σοῦ μέτεστιν ἡμέρας. [1])

Exemplum fidei ac veritatis, quae decet virum, qua et veteres Germani insignes fuerunt, repudiato jure jurando, et Christus ipse salvator mundi uti nos jubet, habes in verbis Thesei et Oedipi, qui honestissimum probitatis ac magnitudinis animi quasi certamen in hac tragoedia ineunt, ut non facile judicetur, uter sit generosior:

v. 648 sqq. Thes. *θάρσει τὸ τοὐδέ γ' ἀνδρός· οὔ σε μὴ προδῶ.*
Oedip. *οὔτοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακόν, πιστώσομαι.*
Thes. *οὔκουν πέρα γ' ἂν οὐδὲν ἢ λόγῳ φέροις.*

Horum probitati dissimillima est vanitas Creontis, qui more mendacium hominum speciem magis veri quaerit, quam verum ipsum. Hunc vaniloquentiae personam et violentiae agere poëta voluit:

v. 758 sq. *ὦ πάντα τολμῶν κἀπὸ παντὸς ἂν φέρων*
λόγου δικαίου μηχάνημα ποικίλον.

et v. 803 sq. *γλώσσῃ σὺ δεινός· ἄνδρα δ' οὐδέν' οἶδ' ἐγὼ*
δίκαιον, ὅστις ἐξ ἅπαντος εὖ λέγει. [2])

Nec remoratur poena, quam aliquando deos ab eo sumpturos esse Oedipus vaticinatur.

---

[1]) **Sophocl. Phil. 499 sqq.** *χρὴ δ' ἐκτὸς ὄντα πημάτων τὰ δείν' ὁρᾶν.*
χὤταν τις εὖ ζῇ, τηνικαῦτα τὸν βίον
σκοπεῖν μάλιστα, μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ.

Eurip. Fragm. apud Stob. Serm. CXIII.: *μὴ σκυθρωπὸς ἴσθ' ἄγαν*
πρὸς τοὺς κακῶς πράσσοντας, ἄνθρωπος γεγώς.

Cf. Senec. Ep. XCV. Chrysost. adv. opp. vit. Mon. III. 2. *τὸν γὰρ ἄνθρωπον οὐχ ἑαυτῷ μόνον αὐταρκεῖν κατεσκεύασεν ὁ θεός, ἀλλὰ καὶ ἑτέροις πολλοῖς.*

[2]) **Theogn. 345. ed. Welck.** *τῶν ἀγαθῶν ἀγαθὴ μὲν ἀπόκρισις, ἐσθλὰ δὲ ἔργα·*
τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη.

Sophocl. Fragm. 88. *ψυχὴ γὰρ εὔνους καὶ φρονοῦσα τοὔνδικον*
κρείσσων σοφιστοῦ παντὸς ἐστιν εὑρέτις.

Basil. Serm. I. 6.: *ὁ τὸ κακὸν ἐν προσχήματι τοῦ ἀγαθοῦ ποιῶν, διπλασίονος τιμωρίας ἐστὶν ἄξιος, διότι αὐτό τε τὸ οὐκ ἀγαθὸν ἐργάζεται, καὶ κέχρηται εἰς τὸ τελέσαι τὴν ἁμαρτίαν, ὡς ἂν εἴποι τις, τῷ καλῷ συνεργῷ.*

v. 865 sqq. *τοιγάρ σέ τ' αὐτὸν καὶ γένος τὸ σὸν θεῶν*
ὁ πάντα λεύσσων Ἥλιος δοίη βίον
τοιοῦτον, οἷον κἀμέ, γηρᾶναί ποτε.

Nam Creontem senem in Antigona, quam ad fabulam mox perveniam, conjuge ac filio voluntaria morte amissis, miseram agere vitam intelligemus. Talia autem mirifice commovere incorruptos juvenum animos solent et corroborant eorum virtutem, praesertim adhibita adhortatione magistri, quam sit honestum et utile, sincere ac simpliciter vivere, ut etiam Cicero (de off. I. c. 4.) ait, **quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum.**

Hunc nefarium hominem, qui nulla divinarum humanarumque legum ratione habita Oedipum ac filias ejus peregrinae terrae commendatos tutelae vi abstrahere conatur, Theseus verbis gravibus ac dignitate plenis castigat, quibus iisdem in violentum istum Europae vexatorem nefariumque legum contemptorem uti potuisses, quum media in pace ducem de Enghien contra jus fasque a finitima terra vi et fraude abduci juberet. Versus autem sunt 901 — 932, ex quibus nonnullos exscribere lubet:

v. 910 sqq. *ὅστις δίκαι' ἀσκοῦσαν εἰσελθὼν πόλιν*
κἄνευ νόμου κραίνουσαν οὐδέν, εἶτ' ἀφεὶς
τὰ τῆσδε τῆς γῆς κύρι', ὧδ' ἐπεισπεσὼν
ἄγεις θ' ἃ χρῄζεις, καὶ παρίστασαι βίᾳ·

et v. 916 sq. *καίτοι σε Θῆβαί γ' οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν·*
οὐ γὰρ φιλοῦσιν ἄνδρας ἐκδίκους τρέφειν·
οὐδ' ἄν σ' ἐπαινέσειαν, εἰ πυθοίατο
συλῶντα τἀμὰ καὶ τὰ τῶν θεῶν βίᾳ
ἄγοντα φωτῶν ἀθλίων ἱκτήρια.

Jllius autem Thesei excellentiam animi et dignitatem ita expositam a poëta videmus, ut, quidquid fluat ex ore ejus, valde oblectet animos omnium, qui his rebus ducantur. Velut in ea sententia, quae subjecta est verbis,

v. 1138 sq. *οὐ γὰρ λόγοισι τὸν βίον σπουδάζομεν*
λαμπρὸν ποιεῖσθαι μᾶλλον ἢ τοῖς δρωμένοις.

quis est, qui non magnum inesse invitamentum putet, ut fugiat loquacitatem eorum, qui verborum longe studiosiores quam rerum sunt? Est enim hoc putidum ac fere impium hominum genus. cf. v. 1203 sqq. Multa, quae huc pertinent, sunt praetermittenda, ne lata et longa sit disputatio.

Nec illo inferior his virtutibus Antigona est, quae nihil dicit, quod non sit decorum atque honestum. Ex hoc genere illud est, quod ea ad deleniendam patris iram dicit, qui contra Thesei admonitionem filium impium convenire recusat:

v. 1196 sq. *λιπαρεῖν γὰρ οὐ καλὸν*
δίκαια προσχρῄζουσιν, οὐδ' αὐτὸν μὲν εὖ
πάσχειν, παθόντα δ' οὐκ ἐπίστασθαι τίνειν.

His verbis Oedipus monitus, ut Theseo gratificaretur, coërcet animum obtemperatque recta suadentibus. **Nullum enim officium**, ut Cicero ait (de off. I. c. 15), **referenda gratia magis necessarium est**, ad quam, ut opinio mea fert, inprimis talium locorum

lectione juvenes permoventur. [1] — Atque ut omittam praeclarum illud carmen canticum v. 1206 sqq., in quo sententiae de hujus vitae conditione gravissimae ac dignae christiano leguntur, satis est duos versus afferre, quos nullus praeceptor, si quidem studeat discipulos pietate imbuere, cum iis legat, quin pauca de misericordia dei ac laeta spe christianorum commemoret, qua ad clementiam in alios homines admoneamur:

v. 1262 sqq. *ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων*
Αἰδὼς ἐπ' ἔργοις πᾶσι, καὶ πρός σοι, πάτερ
παρασταθήτω. [2]

Sequitur horribilis illa exsecratio v. 1343 sqq., qua Oedipus impiis filiis mala, omnia prospera piis filiabus precatur, quae quidem exsecratio, quamquam horrent animi nostri, tamen suam quandam majestatem habet, nec fieri potest, quin ea juvenes ab impietate in parentes avocentur. Hac re perculsos excipit misera sors Polynicis, qui quamvis et peccata in patrem agnoscat et turpitudinem ejus belli, quod illaturus patriae est, tamen, quoniam pravis correptus studiis implicatusque erroribus a scelere non potest sese eripere, ab Antigona sorore non permovetur, ut ab illo bello desistat, quo ipsum esse periturum et pater praedixerat, et ipse praesentit. Vid. vers. 1428 — 1433. Hinc doceantur juvenes, quam sit exitiosum, declinare a via virtutis, in quam reclinare difficile est. Nec vero poenam homo sceleratus effugere potest; dii enim, quamvis sero, impios tamen graviter puniunt:

v. 1520 sq. *θεοὶ γὰρ εὖ μέν, ὀψὲ δ' εἰςορῶσ', ὅταν*
τὰ θεῖ' ἀφεὶς τις εἰς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ. [3]

Gravissime autem legentium animi percutiuntur, quum tonitru semel atque iterum audito, quo signum abeundi ad inferos Oedipo datur, chorus ad pias se preces convertit, ne gravioribus ille mortis doloribus conflictetur, v. 1541 sqq. Tum ille consolatus filias, quae provolutae ejus genibus sunt, iisque tutelae Thesei commendatis mira ratione ab omnium conspectu abripitur. Fletus autem ac lamentationes filiarum, quae summo erant moerore oppressae, Theseus his verbis reprimit:

v. 1732 sqq. *παύετε θρήνων, παῖδες. ἐν οἷς γὰρ*
χάρις ἡ χθονία ξύν' ἀποκεῖται,
πένθειν οὐ χρή· νέμεσις γάρ. [4]

---

[1]) **Sophocl.** Phil. 664 sq. *ὅστις γὰρ εὖ δρᾶν εὖ παθὼν ἐπίσταται,*
παντὸς γένοιτ' ἂν κτήματος κρείσσων φίλος.

[2]) **Basil.** Homil. in Psalm. XXXII. 3. p. 134 ed. Par.: (θεὸς) *ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην καὶ κρίσιν· οἱονεὶ πάρεδρον ἑαυτῷ τὴν ἐλεημοσύνην ποιησάμενος καὶ προβληθεῖσαν τῷ βασιλικῷ τῆς κρίσεως θρόνῳ, οὕτω προςάγει εἰς κρίσιν ἕκαστον.* Id. Epist. CVIII. *γιγνώσκων ὅτι ἄνθρωπος εἶ καὶ αὐτὸς ἀναμένειν ὀφείλεις τοὺς καιρούς, ἐν οἷς δεηθήσῃ τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ ἀναλήψεως· ταύτην μὴ ἀποκλείσῃς σεαυτῷ διὰ τῆς παρούσης σκληρότητος, ἀλλ' εὐτρέπισον τοὺς οἰκτιρμοὺς τοῦ θεοῦ ἐπὶ σαύτόν, πᾶσαν χρηστότητα καὶ ἐπιείκειαν τοῖς καταπονουμένοις ἐπιδειξάμενος.*

[3]) **Euripid.** Jon. 440: *'Αρετὰς δίωκε· καὶ γὰρ ὅστις ἂν βροτῶν*
κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.

[4]) **Sophocl.** El. 1162 sq. *θνητοῦ πέφυκας πατρός, 'Ηλέκτρα, φρόνει,*
θνητὸς δ' 'Ορέστης, ὥστε μὴ λίαν στένε.
πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ' ὀφείλεται παθεῖν.

Basil. Ep. V. *πρόςταγμα θεοῦ ἐστι τὸ μὴ λυπεῖσθαι ἐπὶ τοῖς κεκοιμημένοις τοὺς εἰς Χριστὸν πεπιστευκότας διὰ τὴν ἐλπίδα τῆς ἀναστάσεως.* cf. Chrysost. ad Hom. de dorm. Tom. I. p. 762 sqq. ed. Par.

Sic nos quoque non decet multum queri et lamentari de morte nostrorum, quam deus pro occultis suis consiliis accidere jubet, ut abeant eo, quo laetiora omnia sunt. Nam nihil mortalibus evenit inscio deo, ut est apud Euripidem, [1]) nec perit virtus, si probus moritur, ut praeter eundem Euripidem [2]) Tacitus [3]) dicit. — Sed haec hactenus. Nunc venio ad alteram fabulam Sophoclis, de qua ea, qua coepi, ratione disputare constitui.

In Antigona igitur Sophocles monere Athenienses voluit, ne felicitate, qua uterentur, opibusque elati divina humanaque jura perverterent, neve eas leges quas ipsi fecissent, potiores iis esse putarent, quae a natura ac diis immortalibus datae essent. Quamquam enim gravis est et cara ea societas, quae cum republica est unicuique hominum, tamen ob eam nec jura atque officia, quae ex cognatione proficiscuntur, violare nec divinis legibus adversari licet. Nam supra leges civitatis divina sunt jura, quibus sublatis ipsa respublica tollitur. Quod ut poëta civibus suis ante oculos ponat, Creontem, qui Oedipi filiis singulari certamine interfectis regnum suscepit, ex legibus quidem institutisque civitatis imperantem facit, ut Polynicis cognati corpus insepultum projiciatur, quia hostis patriae fuerit; sed hac in re non vacat ea superbia et crudelitate, qua ii reges grassari solent, qui nimia sui aestimatione, non magnitudine animi et clementia ducuntur. Ac ne divinarum quidem legum ita ille rationem habet, ut pium in eo animum esse videamus. Ita quum omnia jura et divina et naturalia postponeret propter eam, quam sibi opinionis errore finxerat, reipublicae utilitatem,

v. 660 sq. *ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν*
καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία.

in perniciem ruit. Huic opponitur Antigona, Polynicis insepulti soror, quae quum fratris sepulturam contra regis mandatum suscipiat, cognationis jura ac religionis defendit, sed defendit ita, ut nimia quadam contumacia, profecta illa quidem, ut fieri solet, ex ferocia regis et pervicacia, abripiatur. Quam quidem contumaciam, qua vel ipsa magnitudo animi virginis declaratur, quamquam poëta non prorsus probatam exponit, tamen et ille longe superiorem vanitate Creontis depingit, nec nos possumus, quin adamemus. Neque vero in hac virginis adversus regem pervicacia, qua illa pereat, praecipue fabula versatur, id quod nuper virum doctum dicere memini (hoc ex Boeckhii sententia fluxisse videtur, qui putat, Creontem et Antigonam insolentia quadam et effrenata cupiditate abreptos non sapienter id cogitare, quousque progredi liceat, unde fiat, ut ii pervicaces alter divina, humana jura altera violent suumque interitum parent, quae quidem sententia ex parte tantum mihi probatur), sed in summa illius nobilitate animi ac generositate, qua contra regis crudelitatem impietatemque pugnat, projectisque omnibus iis, quae expetenda homines putant, etiam mortem fidenti animo oppetit, ut pietati in deos atque in fratrem satisfaciat. Quod quum Antigona faciat, perit quidem, sed ita, ut, quam tuetur causam, ea victrix evadat. Nam Creon tandem mentis caecitate objecta, filio et uxore amissis, intelligit, quantum peccaverit, ac miserrimam vitae suae sortem deplorat. Sed quamquam illa longe altiore animo est et honestiora sequitur, tamen caveamus, ne omnem

---

[1]) Fragment. apud Theophil. ad Autolyc. Lib. II. c. 8: *οὐκ ἔστιν οὐδὲν χωρὶς ἀνθρώποις θεοῦ.*

[2]) Fragm. apud Stob. Serm. I. *ἀρετὴ δὲ, κἂν θάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται,*
ζῇ δ', οὐκ ἔτ' ὄντος σώματος· κακοῖσι δὲ
ἅπαντα φροῦδα ξυνθανόνθ' ὑπὸ χθονός.

[3]) Non cum corpore extinguuntur magnae animae.

Creonti culpam malorum tribuamus; nam illa quoque tanta subinde atrocitate in regem invehitur, ut non sit prorsus reprehensione indigna, quam chorus exprimit:

v. 843 sq. *προβᾶσ' ἐπ' ἔσχατον θράσους*
ὑψηλὸν ἐς Δίκας βάθρον
προσέπεσες, ὦ τέκνον, πολύ. cf. v. 860 sqq.

Nam nemo vere sapiens est et perfectus, ut omnibus vitiis careat, et sic vita hominum est, ut, qui prope ad deum accedat, nemo inveniatur. — Sed satis de hac re mihi dixisse videor. Nunc, quod reliquum est, persequar, ut nonnullos locos deligam, qui maxime ad id, quod proposui, pertineant.

Ac primum quidem poëta versibus, quos modo afferam, docet, ne, si tempora flagitent, occumbere morti cunctemur, ut recte faciamus; majorem enim rationem aeternae vitae quam terrestris esse habendam, cujus qui nimio studio trahatur, eum facile violare id, quod dii velint:

v. 71 sqq. *κεῖνον δ' ἐγὼ*
θάψω. καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.
φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
ὅσια πανουργήσασ'· ἐπεὶ πλείων χρόνος,
ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.
ἐκεῖ γὰρ ἀεὶ κείσομαι· σοὶ δ' εἰ δοκεῖ,
τὰ τῶν θεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε. [1])

Nec vero celandum est id, quod quis recte facit contra consilia hominum, qui improba jubent. Itaque Ismenam sororem, quae in sepeliendo fratre ipsam ita adjuvare vult, ut illud occultetur, graviter reprehendit Antigona, cujus animum divina delectant, quod argumentum divinitatis animi judicat Seneca (Nat. quaest. I. Praef.)

v. 86 sq. *οἴμοι, καταύδα· πολλὸν ἐχθίων ἔσει*
σιγῶσ', ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.

Quemadmodum autem, qui gubernator civitatis est, eum optima quaeque consilia capere nec reticere quidquam oportet, quod sit honestum et utile, ita civis, qui aliquo in numero velit haberi, patriae commodo serviat, quae quidem patria, ut verbis Ciceronis utar (de off. I. c. 17), omnes omnium caritates complexa est, modo ne jura naturae ac deorum violentur, qua una in re a Creonte peccatur (v. 162 — 210), quum caetera omnia, quae in his versibus continentur, habeant, quae comprobari possint. Nolo exscribere eos, quod multi sunt. —

Sequuntur alii versus, quibus poëta Atheniensibus praecipere voluit, ut et reipublicae et deorum leges servarent, si cum honore in illa vivere vellent; eos illa esse indignos, qui audacia incitati ac turpitudine leges perrumperent; talium igitur hominum consuetudinem esse fugiendam:

v. 366 sqq. *νόμους παρείρων χθονὸς*
θεῶν τ' ἔνορκον δίκαν ὑψίπολις·
ἄπολις ὅτῳ τὸ μὴ καλὸν
ξύνεστι τόλμας χάριν.

---

[1]) Non dissimilia leguntur apud Chrysost. ad Stag. a daem. vex. II. 4: *ὁ μὲν τῶν ἐπάθλων καὶ τῶν στεφάνων καιρὸς ὁ μέλλων ἐστὶν αἰών, τῶν δὲ παλαισμάτων καὶ τῶν ἱδρώτων ὁ παρὼν κτλ.*

μήτ' ἐμοὶ παρέστιος γένοιτο μήτ' ἴσον φρονῶν
ὃς τάδ' ἔρδει. [1])

Sed caveant gubernatores civitatum, ne imperent, quod sit aut naturae aut deorum praeceptis contrarium; haec enim longe antiquiora sunt omnibus hominum institutis et superiora. Opinionum commenta, ut Cicero ait, delet dies, naturae judicia confirmat (de nat. deor. II. 2.) Atque hanc quidem sententiam gravissimis verbis Antigona defendit contra Creontem, crudelem contemptorem naturae (cf. v. 484 sq. *ἀλλ' εἴτ' ἀδελφῆς εἴθ' ὁμαιμονεστέρας || τοῦ παντός ἡμῖν Ζηνὸς Ἑρκείου κυρεῖ, || αὐτή τε χἠ ξύναιμος οὐκ ἀλύξετον μόρου κακίστου*), qui se quidvis imperare posse reipublicae causa opinatur, Fieri non potest, quin verba illius virginis, quae etiam mortem negligit, si comparetur cum pietatis officiis, magnam vim in legentium animos habeant:

v. 448 sqq. *οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,*
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη,
οἳ τούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους·
οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γάρ τι νῦν τε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη. [2])

Ac praeclare Sophoclem sensisse de vita post mortem, qua odio, invidia, omnibus cupiditatibus abjectis ii sibi reconcilientur, qui in hac vita inimicitiam exercuerint, apparet ex verbis Antigonae,

v. 512: *οὐ μαρτυρήσει ταῦθ' ὁ κατθανὼν νεκύς.*

quibus refellit Creontem, qui impietatem ipsi in Eteoclem fratrem objecit, quod Polynicem, alterum fratrem et inimicum illius honore sepulturae afficiat; apparet etiam ex verbis ejusdem Antigonae

v. 519: *τίς οἶδεν, εἰ κάτωθεν εὐαγῆ τάδε;*

quibus hoc illa dicit, fratres mortuos in gratiam restitutos non aeque sentire atque homines, qui, dum vivant, cupiditatibus agitentur.

Nihil autem gravius est, nihil jucundius lectu, nihil quod magis admiratione sit dignum, quam ea sententia, quae mox sequitur, qua vel sola declarat Sophocles, et qua ipse nobilitate animi fuerit, et quantum illo tempore Athenienses in humanitate profecerint. Nam quum Creon, cujus omnis natura ethnicorum, quos dicunt, propria est, hoc dicat, inimicum vel mortuum odio esse persequendum, Antigona, quae est quasi divina praedita mente, et cujus ore poëta ipse eloquitur, quid sentiat, prorsus contraria dicit, non odium sibi, sed amorem innatum esse:

---

[1]) Eurip. Fragm. ap. Stob. Serm. I.: *τρεῖς εἰσὶν ἀρεταί, ἃς χρή σ' ἀσκεῖν, ὦ τέκνον,*
θεούς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντας γονεῖς,
νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν
κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.

[2]) Cf. Oedip. Tyr. 836 sq. ed. Wunderl. Chrysost. Exp. in Psalm. CX, 6: *ὁ τοίνυν νόμος (θεῖος) τοῦτο μάλιστα ἔχει τὸ ἐξαίρετον, τὸ ἀθάνατον, τὸ διηνεκὲς...—· οὐ καθάπερ οἱ ἄνθρωποι νόμοι, πολὺ μὲν ἔχοντες τὸ ἐπίκηρον, πολὺ δὲ τὸ ἀσαφὲς...—· εἰ δὲ ἄνθρωποι παραβῶσιν (ἐντολὰς θείας), ἀλλ' ὁ θεὸς αὐτὰς ἐκδικεῖ.*

v. 521: οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν. [1])

Nimirum quum magis magisque sensibus tantum homines moveri coepissent ac depravarentur, vera ac sana praecepta, data illa divinitus, ita paullatim exciderunt ex eorum animis, ita obruta sunt illuvie gentilitatis, ut post multa demum saecula, quum artes et literae apud Graecos florere coepissent, et ad meliorem rerum cognitionem homines perducerentur, species quaedam verioris rerum divinarum rationis et quasi adumbrata imago informaretur in animis eorum, qui naturae bonitate praediti erant, donec tandem divinus auctor christianae religionis lumine suo adhibito omnia illustravit. [2]) Qua in re idem illis hominibus, ut simili utar, accidisse videtur, quod Ciceroni, cujus animo quamquam imago quaedam artis typographicae obversabatur (de nat. deor. II. 37) longe tamen is aberat, ut illam artem cognosceret aut etiam exerceri posse censeret. —

Multa omitto, ex quibus, qui velit, salutaria officiorum praecepta ad recte agendum persequi possit. Velut verbis

v. 541: λόγοις δ' ἐγὼ φιλοῦσαν οὐ στέργω φίλην. [3])

---

[1]) Horum similia sunt, quae eadem in Oedipo Coloneo contra patrem irascentem filio dicit:

v. 1184 sqq. ἔφυσας αὐτόν. ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κάκιστα δυσσεβεστάτων, πάτερ
θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς.

Soph. Aj. 1315 sqq. οὐ γάρ τι τοῦτον, ἀλλὰ τοὺς θεῶν νόμους
φθείροις ἄν· ἄνδρα δ' οὐ δίκαιον, εἰ θάνῃ,
βλάπτειν τὸν ἐσθλόν, οὐδ' ἐὰν μισῶν κυρῇς.

Ibid. v. 1329: νικᾷ γὰρ ἀρετή με τῆς ἔχθρας πολύ.

[2]) Clem. Alexandr. in admonit. ad Gent. p. 45: „Recte, o Plato, attigisti veritatem; sed ne te pigeat laboris, una mecum suscipe boni inquisitionem. Omnibus enim simpliciter hominibus, maxime autem iis, qui versantur in doctrina et literis, instillatus est quidam divinus influxus, qua de causa vel inviti fatentur, unum esse deum ab interitu alienum " etc. Lib. I. Stromat. p. 282. „Ipsa philosophia Graecos paedagogi more ducebat, sicut lex Hebraeos, ad Christum. Praeparat ergo philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur. Lactant. lib. VI. c. 7. divin. instit. c. 7: „Non philosophiam nos evertimus, sed docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Quod si exstitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis. Particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum a Deo, dixit Plato; hominum causa omnia, quae in eo sunt, esse facta, Stoici loquuntur; ad veritatem capessendam nasci homines, Aristoteles disseruit; immortales esse animas, Pherecydes et Plato disputarunt; esse inferos, Zeno Stoicus docuit et sedes piorum ab impiis esse discretas. Totam ergo veritatem et omne divinae religionis arcanum philosophi attigerunt." Augustin. lib. de spirit. et lit. c. 28: p. 111. Tom. I. „Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis vel sapere." Theophil. ad Autol. lib. 2. p. 87: „Quidam de poëtarum coetu animo vigilantes deprompsere interdum et prophetarum vocibus consona: videlicet de unitate Dei ejusque judicio nec non de reliquis, quae in ipsorum operibus videntur. At ea tum ipsis tum reliquis mortalibus in testimonium vertunt. August. de civit. Dei VIII. 11: Mirantur quidam, quum audiunt vel legunt, Platonem de Deo ista sensisse, quae multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt.

[3]) Theogn. 403 sq. ed. Welck. μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε, νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ,
εἴ με φιλεῖς, καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.

erantur ii, qui jactabundi verbo quidem nos adjuvare se velle simulant, re autem dese- ... Et quid magis adolescentes excitare possit, ut omni studio nitantur, ne parentibus suis gnominiae sint ac moerori, quam ea, quae poëta his verbis dicit:

v. 639 sqq. ὅστις δ' ἀνωφέλητα φιτύει τέκνα,
τί τόνδ' ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὑτῷ πόνους
φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων;

Jllud autem, si generatim accipis, nulla Antigonae ratione habita, gravissimum est idemque verissimum ac fructuosum juvenibus, quod poëta versibus 654 sqq. docet, eum non recte administrare posse rempublicam aut fungi muneribus, qui male res domesticas gerat aut suos non contineat in officio:

v. 654 sqq. εἰ γὰρ δὴ τά γ' ἐγγενῆ φύσει
ἄκοσμα θρέψω, κάρτα τοὺς ἔξω γένους.
ἐν τοῖς γὰρ οἰκείοισιν ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
χρηστός, φανεῖται κἀν πόλει δίκαιος ὤν.

Nec minus salutare illud est, quod continetur in versibus, qui deinceps sequuntur, qui didicerit parere magistratibus ac praefectis, eum recte aliquando praeesse aliis posse. — Jlla autem superbia et admiratio sui, quae est in quibusdam hominibus, qui se omnia solos scire nec quemquam alium melius sentire opinantur, non versibus solum

v. 699: μὴ νῦν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει,
ὡς φὴς σύ, κοὐδὲν ἄλλο, τοῦτ' ὀρθῶς ἔχειν κτλ.
et 1009: αὐθαδία τοι σκαιότητ' ὀφλισκάνει. [1]

sed totius fabulae exitu castigatur. Nam Creon, qui nec Antigonae, nec chori, nec filii, nec Tiresiae vatis adhortationibus ad sanam mentem potuit revocari, tandem calamitatibus oppressus intelligit, quantum errore mentis peccaverit. [2]

Sed Athenienses, ne pro ea, qua erant levitate, suas leges suaque instituta pluris habeant quam jura deorum, neve eum contemnant, qui haec sequatur, quum per totam fabulam, tum his versibus monentur:

909 sqq. τί χρή με τὴν δύστηνον εἰς θεοὺς ἔτι
βλέπειν, τίν' αὐδᾶν ξυμμάχων; ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην. [3]

Jllud enim dolendum est, quod saepe fit, ut ii homines, qui deo placere quam hominibus malunt ac faciunt, quae justa sunt, ab improbis agitentur, id quod ut apud Athenienses Socrati, ita apud omnes omnium temporum gentes multis probis ac piis hominibus accidit. Attamen illi mala modesto animo perferunt ceduntque occultis dei consiliis, quod idem Antigona apud Sophoclem facit:

---

[1] Chrysost. in ep. ad Rom. Hom. XX, 4. Tom. IX. p. 661, ed. Par. τὸ διὰ φρονήσεως γενέσθαι μωρὸν καὶ συγγνώμης ἐστέρηται καὶ μείζονα φέρει τὴν κόλασιν· τοιοῦτοι οἱ ἐπὶ σοφίᾳ μέγα φρονοῦντές εἰσι καὶ εἰς ὑπόνοιαν ἐμπίπτοντες τὴν ἐσχάτην· οὐδὲν γὰρ οὕτω μωρὸν ὡς ὑπόνοια ποιεῖ.

[2] Theogn. 99 sq. ed. Welck. Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν·
θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

[3] Cf. Soph. Oed. Tyr. 867 sqq. ed. Wund.

v. 912 sq: *ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά,*
παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες. [1])

Nam non semper omnia prospere cedunt hominibus, nec dii quidlibet iis condonant, ut est apud Homerum: *οὔπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισιν*, et apud Theognidem: *οὔτι μάλ' ἀνθρώπου καταθύμια πάντα τελεῖται.* Nec tamen assentire audeo Wexio, qui putat, Antigonam versibus, qui sequuntur,

914 sq. *εἰ δ' οἵδ' ἁμαρτάνουσι, μὴ πλείω κακὰ*
πάθοιεν, ἢ καὶ δρῶσιν ἐκδίκως ἐμέ·

precari pro inimicis suis, quamquam etiam Basilius in sermone de legend. libr. gent. c. 5 talia de gentilibus laudat: *τουτὶ μὲν γὰρ τὸ τοῦ Σωκράτους ἀδελφὸν ἐκείνῳ τῷ παραγγέλματι, ὅτι τῷ τύπτοντι κατὰ τῆς σιαγόνος καὶ τὴν ἑτέραν παρέχειν προσῆκε, τοσοῦτον δεῖν ἀπαμύνασθαι· τὸ δὲ τοῦ Περικλέους ἢ τὸ Εὐκλείδου τῷ, τοὺς διώκοντας ὑπομένειν καὶ πράως αὐτῶν τῆς ὀργῆς ἀνέχεσθαι· καὶ τῷ, τοῖς ἐχθροῖς εὔχεσθαι τὰ ἀγαθά, ἀλλὰ μὴ ἐπαρᾶσθαι.*

Atque idem, quod paullo ante, poëta praecipit Atheniensibus ore Creontis ipsius, qui ad sanitatem tandem reversus sero ea, quae peccaverat, corrigere voluit:

v. 1094 sq. *δέδοικα γάρ, μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους*
ἄριστον ᾖ σώζοντα τὸν βίον τελεῖν.

Gravissime autem ille *ἐξωδίῳ* Athenienses et una cum his omnes dociles homines, qui talia legunt, hortatur, ne rebus secundis, quibus utantur, elati ad superbiam delabantur, qua in calamitates facile ruant:

πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
πρῶτον ὑπάρχει· χρὴ δὲ τά γ' εἰς θεοὺς
μηδὲν ἀσεπτεῖν· μεγάλοι δὲ λόγοι
μεγάλας πληγὰς τῶν ὑπεραύχων
ἀποτίσαντες
γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν. [2])

Sed satis de hac re mihi dixisse videor, ut intelligeretur, quam multa essent in veterum quoque scriptorum lectione, maxime Sophoclis, si ea recte institueretur, quae et ad pietatem in deum et ad morum integritatem valerent. Simul illud assequi volui, ut adolescentibus, quibuscum per hunc annum diligenter Sophoclem legi, aliquid traderem, quod eos commonefaceret quum laetae consuetudinis nostrae, quam grata eos recordatione saepe renovare vellem, tum earum disputationum, quibus ad pie casteque vivendum perducerentur. — Atque ut aliquando, adolescentes, et vobis honori et amicis utilitati et patriae emolumento esse possitis, pergite, ut facitis, ac summa cum diligentia in studia literarum incumbite, memores ejus, quod apud eundem Sophoclem est:

Fragm. 288: *τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή·*
θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται. [3])

[1]) Euripid. *ἀνδρῶν τόδ' ἐστὶν ἐνδίκων τε καὶ σοφῶν*
κἂν τοῖσι δεινοῖς μὴ τεθυμοῦσθαι θεοῖς.
Id. Fragm. apud Stob. Serm. CVIII: *μοχθεῖν ἀνάγκη· τὰς δὲ δαιμόνων τύχας*
ὅστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός.

[2]) Eurip. Fragm. apud Stob. Serm. CXI. *μήτ' εὐτυχοῦσα πᾶσαν ἡνίαν χάλα.*

[3]) Soph. Phil. 884 sq. *ἅπαντα δυσχέρεια, τὴν αὐτοῦ φύσιν*
ὅταν λιπών τις δρᾷ τὰ μὴ προσεικότα.